

Neues Archiv

der

Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde

zur

**Beförderung einer Gesamtausgabe
der Quellschriften deutscher Geschichten des Mittelalters.**

Siebzehnter Band.



Hannover.

H a h n ' s c h e Buchhandlung.

1892.

Aus Handschriften der Trierer Seminarbibliothek.

Mitgetheilt von H. V. Sauerland.

Als nach dem Abschlusse des französischen Concordats von 1801 im französischen Reiche die katholische Kirche wiederhergestellt wurde, ward auch in Trier das von dem letzten Kurfürsten und Erzbischof Clemens Wenzeslaus gegründete Priesterseminar (Seminarium Clementinum) wieder ins Leben gerufen, und es gelang dem neuen Bischofe Mannay in seiner einflussreichen Stellung als persönlichem Freunde Napoleons und Staatsrathes wie den anderen Instituten seiner neu gegründeten und neu umschriebenen Diöcese so namentlich auch jenem Seminar werthvolle Zugeständnisse zu erwirken. So wurde denn auch dem Seminar im Jahre 1809 ein Theil der Bibliothek der St. Eucharius-Abtei (St. Matthias) vor dem Südthore der Stadt überwiesen; und damit gelangte das Seminar in den Besitz einer ganz ansehnlichen Zahl von Handschriften, welche in der Folge durch Zuwendungen und Erwerbungen der früheren Bibliothekare Dr. J. Marx (†) und Dr. Mosler (†) recht erheblich vermehrt wurde. Zwar ist die grosse Mehrzahl der Handschriften rein theologischen Inhalts; doch finden sich darunter auch manche von Belang für die Geschichte, wie die nachstehenden Notizen darüber beweisen werden:

I. 1.

Registrum omnium stabilium bonorum domus probationis societatis Iesu provinciae Rheni ex diversis libris ab anno 1569 usque 1628 collectum et conscriptum. Pap. fol. maximo.

I. 2.

Registrum pensionum pecuniarum et censuum redimibilium domus probationis societatis Iesu provinciae Rheni ex diversis registris collectum et fideliter conscriptum anno 1628. Pap. fol. max.

I. 5.

Sermones et homiliae in anni festa et dominicas, incipientes a dominica prima adventus et pergentes usque ad pascha. Perg. fol. max. scr. saec. XII. exeunte.

Inter sermones inveniuntur nonnulli Remigii abbatis Mediolacensis, qui vixit saec. X. exeunte, et Theoderici monachi monasterii s. Eucharii, qui vixit saec. XI. ineunte. Cf. Mon. Germ. Scriptores XV, pag. 1266 N. 16 et VIII pag. 204.

I. 7.

Perg. fol. scr. saec. XII. ex. diversis manibus. Continetur:

- a) A. Cassiodorii Historia tripartita.
- b) Passio imaginis domini salvatoris (folia 4 postrema). Ibidem fol. penultimo legitur coeva notitia: Anno dni. M^o. CC^o. LXXX^o sexto obiit pie memorie Henricus Treverorum archiep. in crastino beati Marci euangeliste.
- c) Notae dedicationum s. Eucharii Treverensis. Cf. Mon. Germ. SS. XV, p. 1279.

I. 8.

Perg. fol. continebat 240 folia, quorum 8 priores deperdita sunt; scr. saec. XIV. Fuit quondam ecclesiae collegiatae s. Paulini prope Treverim. Vitae sanctorum; quarum in numero notandae videntur hae: s. Felicis, s. Maximini (scr. a Lupo), s. Simeonis, s. Adelberti, s. Paulini, s. Nicetii, s. Martini, s. Briccii, s. Elisabeth lantgraviae, s. Eucharii, Valerii et Materni, s. Helenae et s. Agricii, s. Hildulfi, Inventio s. Celsi, V. s. Magnerici, de s. Mathia, de s. Castore, legenda s. Helenae reginae.

I. 9.

Perg. fol. scr. saec. XIV.

Historiae lombardicae (recte: Iacobi de Voragine Legendae aureae) pars aestivalis, incipiens a nativitate Iohannis bapt. et finiens legenda s. Chrysogoni et s. Catharinae.

I. 10.

Perg. fol. scr. saec. XV.

Liber monasterii s. Albani prope Treverim Carthusiani ord. continens seriem benefactorum, foundationem monasterii a Balduino archiepiscopo factam et notitias dedicationum diversarum monasterii eiusdem.

I. 11 et 12.

Perg. fol. max. scr. saec. XIII. in.

Passionalis magni monasterii s. Maximini partes duae, continentes sanctorum vitas mensium Septembris et Novembris.

(Alia volumina 4 eiusdem passionalis inveniuntur in bibliotheca civitatis Treverensis, duo in bibliotheca nationali Parisiensi.)

II. 1.

Perg. fol. max. scr. saec. XII. ex.

Passionalis magni monasterii s. Eucharii pars una continens sanctorum vitas mensis Ianuarii cum praemisso folio, quod continet Kalendarii partem, quae concernit eundem mensem.

Inter vitas sanctorum, quae hoc volumine continentur liceat notare haec: Vita s. Genofevae (Incipit: Sancta igitur Genofeva in Nimetodorensi parrochia nata . . .) cum additis miraculis, Vita s. Gregorii episcopi urbis Lingonicae, V. s. Hilarii, Passio s. Patrocli, Vita s. Mauri cum prologo, V. s. Adaleide auguste cum prologo¹.

II. 5.

Perg. fol. max. scr. saec. XII. ex.

Godefridi de Viterbo Pantheon cum praemissa dedicatione ad Urbanum III papam directa.

II. 7.

Perg. 4^o. saec. X. ex.—XI. in. scr. Fuit quondam mon. s. Eucharii, quo asportatus esse videtur cod. ex arce Lucilimbursensi. Praeter unam notam superstitiosam de somniis tractantem et notam dedicationis Lucilimburgensis editam in Mon. Germ. SS. XV, p. 1292 continet codex fol. 5 hanc annotationem saec. XI. scriptam:

Notum sit omnibus hominibus, quod Salomon burgensis de Lucelenbure allodium quoddam in Sconeberc, quod idem Salomon iusta emptione a quodam nobili viro Herimanno comparavit, et quod idem Herimannus per manum domini Anselmi de Cavelre et Walteri advocati prefato Salomoni delegavit, altari, quod est in capella comitis, pro remedio animę suę ad luminaria noctis contradidit, ita ut idem Salomon et sui heredes perpetuo hec luminaria administrent, et ipsius anniversaria dies et uxoris suę Agnetis in memoria iugiter habeatur. Sacerdos vero servicia, que dicuntur wisunga, habeat. Quattuor libris et V solidis comparatum est prefatum allodium. Quicumque vero hoc ab ecclesia alienaverit, anathema sit. Si vero heredes non bene administraverint, sacerdos ecclesiastica sententia eos constringat.

fol. 4' inveniuntur scripta saec. X. ex. vel XI. in haec nomina:

Fridagoz. Franco. Berecho. Hupertus. Vvolkerus. Inolfus. Odiloldus. Erlemunt. Engelbertus. Herebodo. Vvalkerich. Athacho. Megdibold. Engezo.

1) Etiam cod. n. 93^a ecclesiae cathedralis Treverensis continet textum egregium vitae s. Adalheidis (fol. 70'—86); sed uterque non est adhibitus ad editionem in Mon. Germ. Script. tom. IV.

Amezo probavit caustum.

Post evangelium s. Iohannis inveniuntur scripta eodem tempore nomina:

Lambertus. Regenheid. Vvaldolf. Franco.

II. 11.

Pap. 4^o. scr. saec. XV. ex.

Collectio diversorum et maximam partem epistolarum, inter quae haec notantur: 2 epistolae Pii II. papae ad ducem Burgundiae; 1 ep. Petri de Monte data Londini ad Poggium; oratio Wilhelmi Filastri, episcopi Turnacensis et nuntii Philippi ducis Burgundiae, habita coram Pio II. Mantuae dat. 8. Oct. 1463 de expeditione adversus Turcas facienda (edita nuper in Röm. Quartalschr. V, 352 sq.); 1 ep. Poggii ad Pium II.; fol. 120—162 complures epistolae a scholae magistris et clericis in Flandria et circumiacentibus regionibus invicem scriptae, ex quibus peroptime elucet illarum partium status magistrorum et scholarum; nomina scriptorum: Ioh. de Veris, rector scholarum primum in Oudenburg deinde in Bergen (op Zoom?), Adrian Goes rector schol. in Middelburg, Iacob Kervoet studens primum Lovaniensis deinde Parisiensis, Iohann Oudanc rector sch. in Ghistella etc. — fol. 318 sq: Magistri Amieri (vel: Anneri) Anglici clerici et familiaris domini Octobera s. Adriani diaconi cardinalis regulae musicae (vel: de practica artis musicae) compilatae anno 1271 mense Augusto.

II. 14.

Pap. in fol. saec. XVI.

Protocollum actorum in comitiis Augustanis, incipiens a. d. 31. Dec. 1554 et finiens d. 25. Sept. 1555; scriptum a quodam, qui interfuit iisdem comitiis et cardinali legato ibidem praesenti fuisse videtur amicus.

II. 15.

Perg. fol. scr. saec. XIV. ex.—XVI.

fol. 1: Notae de confraternitatibus a monachis s. Mathiae Treverens. cum monachis aliorum monasteriorum initis; scr. saec. XVI.

fol. 2—10: Notae de dedicationibus ecclesiae, capellarum et altarium monasterii s. Mathiae Treverensis; scr. saec. XV—XVI. (Cf. Mon. Germ. SS. XV, p. 1278.)

fol. 11 sq: Kalendarium saec. XIV. cum necrologio scripto diversis manibus et temporibus saec. XIV, XV, XVI.

Pag. ultima: Series abbatum s. Mathiae (978—1566) scripta saec. XV. et continuata saec. XVI.

III. 2. continet partes duas:

a. Perg. et pap. scr. saec. XV. Pauli Diaconi Historia Romana cum continuatione, quae videtur Landolfi Sagacis. Fuit quondam liber fratrum Carthusiensium domus s. Beati prope Confluentiam. In fine legitur: Nota hii 26 libri hystorie romane habentur eciam Confluencie in domo theutonicorum in pergameno.

b. Perg. folia 29. scr. saec. XIII. Excerptum ex Fulcherii Carnotensis Historia Hierosolymitana. Quo finito fol. 29 adduntur duo poemata haec:

Venerandus Podiensis Aimerus episcopus
 Sumpsit curam ab Urbano domini exercitus.
 Boiamundum dux Robertus Wiscardi Apulię
 Genuit potentem ducem [urbis] Antiochię.
 Urbium exterior Flandrię Bolonia
 Reges ambos edidit nobili prosapia.
 Patre Eustachio Ida mater principes
 Regentes Ierusalem genuit hos nobiles:
 Sit post mortem Godefridi regis invictissimi
 Balduinus frater eius dux rex Ierosolimis.
 Pater regum rex Philippus et Robertus Flandrię
 Orti sunt equipollenter de regali semine.
 Oda mater Karlomanni descendit de genere,
 [S]oror ducis Godefridi incliti Lotharię.
 [R]obertus comes Flandrie, probus miles inclitus
 A Turcis appellabatur Georgii filius.
 Patriarcha, rex et custos sepulchri de Flandria
 Urbe capta Salomonis optinent regalia.

Deinde una intermissa linea vacua pergitur:

Contigit in nostris quiddam Travenna diebus,
 [U]nde deo laudes immensas reddere debes,
 [Q]ui dignando tuos elegit parrochianos,
 [Q]uos Ierosolime reges dedit et patriarchas.
 [P]rimus Godefridus, Balduinus vero secundus
 [E]iusdem frater, Post hunc regnavit: uterque
 [F]ilius Eustachii comitis, quos nobilis¹ Ida,
 Christe², tue genti feliciter edidit omni.
 [P]rimus Euremarus sedit patriarcha sepulcri,
 [P]ost hunc Arnulfus, oriundus uterque Cyokes,
 [P]rofuit et templo tuus archidiaconus ante
 [V]ir probus et sapiens et religiosus Akardus.
 [I]nde potestates alii tenuere minores.
 [F]alkenberg a suum dedit Hugonem dominum, qui
 [O]btinuit totam regionem Tiberiadis.
 [H]arbel Ramensis³ fit princeps Cesariensis

1) nobilis edidit *cod.*

2) p̄e *omisso X cod.*

3) ar belramsis *cod.*

[E]ustachius miles notus cognomine Gernirs.
 [F]ulco Gisenensis urbem tenuit Baruth, in qua
 [A]ntistes sedit Balduinus Boloniensis.
 [E]t castrum quoddam, quod sanctum dicitur Abraham,
 [H]ugo Rebeccensis tenuit miles generosus.
 [H]ii reges, hii pontifices dominique fuere
 [I]n Ierosolima necnon in finibus eius,
 [Q]uos, Travenna, tuus emisit pontificatus¹.

III. 3.

Pap. fol. scr. anno 1450.

Liber de illustribus viris Cisterciensis ordinis. ($\cong$ Exordium magnum ordinis Cisterciensium. Cf. Migne tom. 185 col. 995—1198. Libri VI. cap. ultimum 10 nescio an additum sit operi genuino.)

III. 11.

Pap. 8°. scr. saec. XV. In cuius foliis ultimis invenitur descriptio urbis Romae.

III. 13.

Perg. scr. saec. XI. 4°.

fol. 102'—113: Glossarium latino-veterothiudiscum magnum et pretiosum. (Cf. Steinmeyer, Althochdeutsche Glossen II, 622 n. 848; II, 590 n. 812; II, 624 n. 854; I, 314 n. 11.)

fol. 114'—115. Notitia quaedam de missione et passione ss. Dionisii, Rustici et Eleutherii.

fol. 115. Alphabethum, cui nomen Runenschrift.

III. 15.

Perg. fol. scr. saec. XV.

Necrologium monasterii s. Mathiae.

IV. 11.

Perg. 4° scr. diversis manibus et temporibus.

a. Alcuini Vita s. Willebrordi. Liber 1. scr. saec. XII, lib. 2. cum praecedente 'Alcuini Omelia legenda in festivitate s. Willebrordi' (Inc.: Licet per tocius orbis ecclesias Expl.: per eum qui illum coronavit et nos adiuvit etc.) scr. saec. XV.

b. Vita s. Lupi episcopi Senonensis cum prologo scr. saec. XV.

c. Liutolfi presbyteri Vita ss. Severi episc. Ravennatensis, Vincentii atque Innocentii cum Liutolfi prologo ad Erlarium diaconum, scr. saec. XV.

¹) Conf. Migne tom. 155 col. 1094.

d. Vita s. Paulini episcopi Treverensis.

e. Vita s. Felicis archiepiscopi Treverensis.

f. Vita (I^a) s. Hildulfi archiepiscopi Treverensis.

g. V. s. Marię Egyptiacę et b. Zosimi abbatis.

h. V. b. Theophili vicedomni.

i. V. b. Abrahe et Marię.

k. V. s. Euphraxię virginis.

l. V. b. Antonii abbatis scripta ab Athanasio et translata in latinum ab Evagrio presbytero ad Innocentium.

Vitae sub d—l sunt scriptae saec. XII excepto textu folii primi vitae s. Paulini, qui scriptus est manu altera paulo recentiore.

IV. 14.

Continet folium unum exhibens Balduini archiepiscopi Treverensis decretum mutilum contra transgressores regularum monasticarum et de disciplina religiosa in monasteriis restituenda.

IV. 15.

Adonis Viennensis martyrologium scr. saec. XII.

IV. 17.

Pap. 8^o. scr. saec. XV.

fol. 77'—78. Bulla nova contra Bechardos Bonifacii IX. 'Sedis apostolicae providencia' . . . Datum [Rome ap. s. Petrum] secundo Kal. Februar. anno VI^o.

fol. 80—82. Epistola Luciferi directa papae, cardinalibus ac clero confecta circa a. 1350. 'Lucifer princeps tenebrarum' . . . Conf. v. Heinemann, D. Handschr. d. Bibl. zu Wolfenbüttel II, pag. 30. 134. 139; I, 193.

fol. 114—116'. Wernherus de Frideberg ord. s. Augustini in Laudenburg revocat errores suos coram inquisitore haereticae pravitatis in urbe Heidelberg (a. 1406).

fol. 117—121. Conclusiones magistri Nycolai Jawors s. theol. prof. contra praedictos articulos W. de Frideberg.

fol. 121'—144'. Lacrima ecclesie per dominum Conradum plebanum et praedicatorem Pragensem († 1369) directa 'reverendissimo in Christo patri ac domino Arnoldo . . . auxitano archiepiscopo domini nostri pape camerario'. (Tractatus de erroribus et superstitionibus Waldensium.)

fol. 145—146. Iohannes XXII. condemnat sectam Fratrum sive Beguinarum, qui se dicunt de tertio ordine b. Francisci. 'Sancta romana atque universalis' . . . Dat. 1317 Dec. 30. Avignon. (Extravagg. Ioh. XXII. tit. VII. conf. Richter, Corp. iur. canon. II, 1123.)

fol. 146. Eadem bulla quae supra fol. 77'.

fol. 147—169. *Ordinatio et articuli sectarum Waldensium et aliarum (scripta a minorita quodam).*

V. 1.

Scr. saec. XV. — Praefatio Iohannis Rode abbatis s. Mathiae de reformatione monasteriorum Treverensium ab ipso et Ottone de Ziegenhain archiepiscopo Treverensi facta.

V. 8.

Perg. 8^o. scr. saec. XII. Continet partem s. scripturae veteris testamenti; at fol. penultimo additae sunt manu altera saec. XIV. ineuntis duae inscriptiones Lateranenses, quarum posteriorem adhuc in basilica Lateranensi extantem invenies ap. V. Forcelli, *Iscrizioni delle Chiese di Roma* vol. VIII, pag. 14, priorem nec a Forcellio nec a Panvinio prolatam nec De Rossi cognitam, quae fuit capellae palatinae Lateranensis ad s. Laurentium, hic transscribendam curavi:

Iste reliquie sunt ad sancta sanctorum Rome.
 Iste locus celebris nostris sic vernat in horis,
 Ut populo veteri sancte domus interioris.
 Circumcisa caro Christi, sandalia clara,
 Ac umbilici viget hic precisio cara;
 De velo matris domini carisque capillis,
 Et lac, quod sacris suxisti, Christe, mamillis.
 Hic panis cene sacer est humerusque Mathei,
 Vestis baptiste cum mento Bartholomei.
 Hic [sancte] Eufemie capud Agnetisque beate,
 Hic Petri Paulique capud, pars de cruce sancta.
 Hiis sociata manent carissima pignora quanta.

Versus 3 et 4 citantur iam a Iacobo de Voragine in *Legenda sua aurea*, scilicet homilia de circumcisionis I. Chr. festo. — Conf. etiam Mabillon, *Museum Ital.* II, 572.

VI. 1.

Perg. 4^o. 128 folia. scr. saec. XII. et XIII. et XIV.

fol. 1'—13: Inventio s. Mathie apostoli et s. Agricii episcopi (in basilica s. Eucharrii facta); scr. saec. XII. Accedunt fol. 13—109: Miracula (108) s. Mathie apostoli; scr. diversis manibus saec. XII. et XIII. — Textus est multo melior quam is, quem exhibent AA. SS. et Mon. Germ. SS.

fol. 109'—110': Notae dedicationum monasterii s. Eucharrii. Conf. Mon. Germ. SS. XV, 1277.

fol. 111—118': Passio s. Catharine virg. et mart; scr. saec. XIII.

fol. 119—124: Vita s. Benedicti metricè compilata.

VI. 3.

Perg. 4^o. fol. 99 scr. saec. X. in.

fol. 1—44: Beda de arte metrica, de tropis et scematibus.

fol. 44'—47': Ecloga Hucbaldi de calvis, in qua habetur paranomoeon versuum (133).

Inc.: Carmina Convicii Cirratus Carpere Calvos . . .

Expl.: Hoc scriptum complet dulcedine mentem. Explicit carmen Hugbaldi monachi ad Carolum de laude calvorum.

fol. 48 script. saec. XV: Carmen Hugbaldi monachi in eius libellum de laude calvorum.

Inc.: [M]usa decus vaturn moderato polimnia gressum . . .

Expl.: Sic est amen. chorus hoc calvorum personet omnis.

fol. 50—66: Fulgentii ad Catum presbiterum Cartaginensis fabulae numero L, secundum philosophiam expositae.

fol. 67—99': Martiani Min. Felicis Capellae Afri Carthaginiensis libri duo de nuptiis philologiae ac Mercurii atque lib. 1 de arte grammatica.

VI. 9.

Perg. 4^o. Evangeliarium monast. s. Eucharis scr. saec. XI. in.

Immediate post ev. s. Matthaei legitur haec nota saec. XII. scripta ac sine dubio desumpta ex testamento Eberhardi archiepiscopi Treverensis († 1066):

In anniversario archiepiscopi Eberhardi una carrada vini et X modii frumenti et denariorum libra una congregationibus infra Treverim distribuetur hoc modo:

Fratribus de sancto Petro duo modii frumenti et hama vini¹ ad mensuram ipsorum, denariorum solidi VI aut III porci. Canonicis de sancto Paulino modius I frumenti, vini III cadi secundum mensuram ipsorum, denariorum II solidi aut porcus I. Ad sanctum Symeonem tantundem. Item ad sanctum Maximinum modius I frumenti et dimidius et hama vini et XXX^{ta} denarii. Sanctimonialibus de Horreo similis porcio tribuenda est. Nobis qui sancto Eucharis deservimus modius I frumenti, vini eciam II cadi et dimidius, denarii XVIII. Fratribus de sancta Maria itidem. Ad sanctum Martinum autem dimidius modius frumenti, vini quoque cadus et dimidius, denarii XII. Ad palatium intantum. Preterea ad elemosinam pauperum dabuntur V^e modii siliginis et modius leguminis et Treverensis hama vini.

Post Hieronymi praefationem ad evangelium s. Iohannis invenitur scriptus manu saec. XI. ex. hic catalogus thesauri monasterii s. Eucharis:

1) cf. Beyer, Mittelrh. Urk. B. I, 155: Modius vini tenet mensuram, quam appellamus emer, unde V faciunt amam.

Cappe decem et octo. Albe viginti due et sex puerorum. Casula una deaurata et sex de pallio et cottidianę quatuor. Stole auro parate tres et alie tredecim de serico et quinque succinctoria auro parata. Dalmaticę tres. Subtilia quatuor et due tunicę lineę. Manipuli tres meliores et quatuor viliores Pallia ad ornandum altaria septem et duo palliola vilissima ad obsequia defunctorum. Palle altaris octo. Fascercule tres. Dorsalia duo lino et lana varie contexta. Tapetia sex. Bancalia tredecim. Cortine lineę tres. Mappule sex, tres ad missas et due ad manus tergendas. Mattilia textilia octo. Sedilia duo complicatoria cum duobus pulvinariis et duobus palliolis.

Cruces tres auro et gemmis ornatę et due deaurate. Quatuor fustes superargentate ad ipsas cruces portandas. Tria vexilla cum suis portariis virgis deargentatis. Textus sancti ewangelii, libri tres ebore auro et argento ornati et capsula maior in modum libri auro et gemmis ornata et lectionarius I ebore et argento ornatus et duo plenaria palliis involuta et tria pulvinaria cum eisdem plenariis. Calix unus onichinus auro ornatus cum patena auro purissimo lapidibus et gemmis decenter ornata. Calices argentei tres. Urceus unus argenteus deauratus. Turibulum unum argenteum deauratum cum acerra argentea. Scrinium unum argenteum et capsella argentea I in quibus continentur reliquię sanctorum. Necnon et alia tria scrinia lignea continentia reliquias sanctorum.

In folio proxime sequenti notantur haec manu saec. XII. ex. de bonis et redditibus monasterii s. Eucharii:

In villa sancti Eucharii¹ censum [custodi]² de areis dant Frideliph IIII denarios, Adelbret II, Wipo et fratres eius III, Amelgart I, Marquart et Iohannes III, Constantin II, Tifridus et fratres eius [festo Martini] II solidos, Ancelin et Minia I denarium quamdiu vivunt, post mortem eorum III dabuntur. Petrus de sancto Germano³ [festo Martini] XI, Tidericus de Ibisca⁴ III denarios. Amezo et alii de Lange-sura⁵ IIII solidos. Ad Cingeledē⁶ habemus XV particulas vinearum et agrorum. Tigerus cecus dedit ibi agrum I et uxor Hessonis I ibidem. Idem cecus dedit II iurnales ad Calmunt⁷. Petrus de Ibisca habet a nobis ibi partem agri. Steinburch vidua dedit quicquid ibi habet. Ista omnia data sunt duobus hominibus cum villico et scabinis sub censu XVI denariorum. Agrum I super Ibisca mutuavimus cum Anselmo, qui dedit nobis alium iuxta viam quę est iuxta

1) Nunc dicta s. Mathiae.

2) Uncis inclusa sunt addita

atque inter lineas scripta manu altera coaeva. 3) Infra Treveris muros.

4) Irsch prope Treverim.

5) Langsur prope Igel.

6) vel Eingeledē?

7) Ubi situm, nescio.

domum Burchardi scilicet iurnalem I et dimidium sub iuramento familię, quod ista pars melior esset illa. Iuxta Ibiscam habemus II particulas agri, inter quas habemus I in vadimonium ab Heinrico de sancto Medardo¹ pro VI solidis, si redimit, habeat, sin, custos habeat. Wipo habet vineam iuxta domum Anselmi, de qua III denarios dat Constantinus in Ruvvella² pro medio fructus. Cūno et Berwich I ad portam mediam³ et I ad crucem⁴ pro medio fructus. Sibret I ad litus⁵ pro medio fructus et pro sua medietate dimidium hamam dat. Wipo et Adelholt habent IIII iurnales ad albam portam⁶ pro quinta garba. Iuxta Oliviam⁷ IIII iurnales habemus. Adelouph religiosa femina⁸ dedit vineam Risolf. Petrus de Cingeledede dedit iurnalem I ibidem, quem dedimus eisdem hominibus qui XVI denarios dant, ut dent amodo XX denarios. De area Anselmi⁹ II solidos.

X. 1.

Pap. fol. 365 folia, saec. XVI. exeuntis. Continet iura, quae dicuntur Weistümer, plurium villarum ad abbatiam s. Maximini pertinentium, scil. s. Maximin-Ruwer-Gruenhaus, Longuich, Kenn, Detzem, Budlich, Polich, Breit, Nawrat, Schonberg, Neunkirchen, Fell, Rittersdorf, Matzen, Emmel, Lossheim et Tarforst; fol. 299 sq.: Protocollum inquisitionis poenalis anno 1572 in domo Gruenhaus prope Treverim contra plures, quas putabant sagas, actae.

1) Prope abbatiam S. Mathiae. 2) Riol prope Longuich. 3) vel medianam; cf. Beyer, *Mittelrhein. Urk. B. I*, 90. 4) Aut basilica s. Crucis i. e. palatii Romani Treverensis pars meridionalis in ecclesiam quondam commutata aut capella s. Crucis paulo post medium saec. XI prope Treverim extructa. 5) Scil. Mosellae. 6) Porta Treverica meridiem versus sita. 7) Olevig prope Treverim. 8) feminia *cod.* 9) vel Anselini *cod.*
